



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

44. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

Scriptura quidem seipsum Christus, & vehementer commotus fuit, sed
verba elu- ut se contineret sub Patris voluntate. Hoc quidem verum
dit Calu- est, sed hoc nihil contra S. Augustini & aliorum Patrum
in. positionem facit: hoc etiam non explicat, cur dixerit Euan-
 gelista, *Turbavit seipsum*, non autem dixerit, turbatus fuit.
 Nam ut homines boni ac prudentes omnes tamen turbor-
 tur interdum ex improviso, & inuoluntariè, per motus ob-
 pitios viciosos, frequenter tamen sub Dei voluntate se con-
 tinent, & motus illos ad pietatis & rationis nutum referunt.
 Nec tamen de huiusmodi dici possit, *Turbauerunt seipsum*.
Caluini Petulans ergo iste & audax hæreticus nec Scripturarum
arrogantia sensum à Patribus vult discere, nec quod Patres docent potest re-
& imper- futare. Ita & doctissimos Patres arroganter contemnit, & di-
tia. uinas Scripturas legitimè non exponit. Hæc eius temeritas
 & arrogantia & inscitia (quam in aliis locis quam plurimis
 etiam circa dogmata non controuersa exercet, nouaque re-
 terpretationes indefinenter affectat) obseruatione digna est
 ut à tali impostore quàm diligentissimè sibi omnes cæcitas
 verasque & orthodoxas Sanctorum Patrû expositiones, pro-
 pter eius singulare iudicium, nulla ratione, nullo argumento
 communitum, nequaquam reiiciant.

44. *Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire.*

Est hic sanctorum Patrum pia & legitima applicatio
 Caluini cauillis eximenda & asserenda. Sic enim in hæc
 verba garrit. *Ter ridiculi (inquit) sunt Papista, qui auriculari-*
rem confessionem inde eliciunt. Christus, inquit, postquam
Lazarum vita reddiderat, à discipulis suis solus voluit: Ergo
non satis est reconciliari nos, nisi Ecclesia quoque peccata nostra
remittat. Hæc ille. Nam quum Papistas propter hanc applica-
 tionem de absolutione per Ecclesiam necessaria (ad peccato-
 rum quippe confessionem auricularem hæc verba Carbo-
 lici non applicant, mendacium id Caluini est) ter ridiculos
 vocat, antiquos & doctissimos Patres hæc fœda labe adspici-
 git, & per Catholicorum hodie latera illos transfuerbet. Sed
 enim in hunc locum scribit S. Augustinus. *Processit Lazarus*
& adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit.
Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: quando
confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab omnibus
velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis, Deus facit
magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum

Papistarum
nomine Pa-
trés taxat
Caluinus.

Tract. 49.
in Ioan.

processisset mortuus adhuc ligatus, consistens & adhuc reus, ut soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: Soluite illum, & sinite abire. Quid est, Soluite, & sinite abire? Quae solueritis in terra, soluta erunt & in caelo. Haec haecenus Augustinus. Non ausus est Calvinus Augustinum ter ridiculum vocare: vocauit Papistas. Vnde aut Augustinum inter Papistas numerat, aut, quod hodie Papistae docent, ab Augustino eos accepisse ignorauit. Similem applicationem videre est apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7. in Ioan. cap. ultimo. Sed & Gregorius ille magnus Pontifex, & Doctor Ecclesiae celeberrimus, in huius Euangelij verba ita scribit. *Causae pensanda sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Quod bene quatruiduani mortui illa resuscitatio significat, quae videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit, dicens: Lazare, veni foras: & postmodum is qui viuus egressus fuerat, à discipulis est solutus: sicut scriptum est. Cum egressus esset qui fuerat ligatus in stratis, tunc dixit discipulis: Soluite eum, & sinite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluant, quem Magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, factorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuentum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare. Haec Gregor. Et hunc doctissimum Pontificem ac virum sanctissimum ter ridiculum vocare Calvinus non verebitur. Sed moriatur anima mea morte horum iustorum, & sit pars & haereditas nostra in terra viuentium, in consortio Sanctorum in caelo regnantium. Lupus Calvinus abducat discipulos post se quos potest: ut caecus caecum ducat, & ambo in foueam cadant. Verè enim post se abducit discipulos, qui suum proprium iudicium sequutus, sanctos Patres non solum non audit, sed & ter ridiculos vocat. Verè caecus est & nihil videns, sed in media luce palpans, qui lumina Ecclesiae, quos *Lucem mundi* Christus vocat, veteris Ecclesiae Pastores celeberrimos penitus despiciens, suam propriam lucem, id est, tenebras deprauati cerebri sui, in omni Scripturarum interpretatione sequitur.*

Homil. 26.
in Euang.

Matth. 15.
Mat. 20.

51. Hoc autem à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.

Pontificum
vitia ob-
seruāt he-
retici.

Solent hodie haeretici more veterum omnium, ut Catholicam doctrinam in odium atque inuidiam vocent, in eius

mini